LIII.

1300. Domus Capellæ Beatæ Mariæ in Hannonia, & Diœceſi Cameracenſi, ab Angia (Enguien) una leuca verſus Septentrionem poſita, in Pago Horne, conſtructa eſt ab Illuſtriſſimo Vvaltero terræ Angienſis Domino anno 1300. *Teutoniæ,*

LIV.

1300. Domus Vallis Omnium Sanctorum, in Maurbach, in Auſtria, & Diœceſi Patavienſi, tertio à Vienna, Auſtriæ Metropoli, lapide, verſus Meridiem diſtans, condita fuit anno 1300. per Federicum Pulchrum Auſtriæ Ducem, Alberti Imperatoris filiū. *Alemaniæ ſuperioris.*

Vide Aubertum Miræum in Catalogo Cartuſiarum *fol.* 39.

CENTVRIA III.

LV.

SS. Stephani, & Brunonis. Domum Padulæ, ſeu Sancti Laurentij de Padula, in Regno Neapolitano, & Diœceſi Caputaquenſi, quatuor milliaribus à Padula verſus Meridiem diſtantem, condidit Domnus Thomaſius de Sancto Severino Marſici Comes, ex permutatione cum Abbate Sanctæ Mariæ de Monte Virginis, anno 1306. Quæ Abbatia cum illa de Cadoſo fuit huic domui à Leone X. Summo Pontifice unita. 1306.

LVI.

Cartuſiæ. Domus Partis-Dei, in ſtatu Friburgenſi Heluetiorum, & Diœceſi Lauſanenſi, duabus leucis, & ſes qui ad Meridionalem cæli plagam à Friburgo conſtituta, à fundamētis erecta eſt anno 1307. à Vvillermeta Petri Grue. 1307.